

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 485

**Auteur(s) :** Alexandre, Jumièges, Saint-Pierre (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Reinold, Bû (prévôt)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1198-1213]

**Action juridique :** autre

**Description de l'original :** Chirographe (Cyrographum)

**Langue du texte :** latin

Chirographe (Cyrographum)

## Analyse

Alexandre, abbé de Jumièges, renouvelle le traité passé entre les hommes de Bû et le prévôt Reinold à l'occasion de certaines redevances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° CLXXI, t. 2, p. 124-126.

## Dissertation critique

abbatit d'Alexandre, abbé de Jumièges

Texte établi d'après a

Cyrographum

Ego, Alexander, abbas Gemmeticensis, tam presentibus quam futuris notum fieri volo quod quedam querela inter homines de Beu et Reinoldum prepositum super quibusdam consuetudinibus inter eos habitis diu ventilata, assensu et voluntate tam hominum quam prepositi in presentia nostra apud Gemmeticum terminata est et sedata. Ad jus enim prepositure pertinere cognovimus quod si quis hominum predictorum habuerit porcum in domo sua et fecerit baconem, dabit humerum unum vel tres denarios preposito. Qui autem semel in anno vel humerum vel tres denarios preposito dederit, per totum annum quietus erit. Si quis vero hominum porcum emerit et in domo sua tantum .XV. diebus habuerit, nichil de eo vel de eis, si plures fuerint, preposito dabit. Preter hec autem de unaquaque domo panem unum ad natale Domini habebit. Similiter et de singulis clamoribus justicia prepositi pertractatis .VI. denarios habebit, quod usus terre vocat destreiz ; et in augusto mense de singulis cultis arpennis unam garbam habebit ; de eo autem quod minus fuerit quam arpennum, nichil habebit ; et quotienscumque monachus de Beu tradiderit mansum vel arpennum, de singulis traditis ab accipiente duos denarios habebit. De hiis autem que ad abbatem et monachos pertinent et ad prepositum, talis est conventio quod prepositus sive heres ejus nunquam ibit ad Tevarvillam compartiatum, nisi prius vocaverit monachos vel procuratorem sive famulum cui ab abbate vel monacho injunctum fuerit negocium. Quod si forte nec monachus nec procurator nec famulus poterit aut noluerit interesse, compartitor tenebitur custodire non minus fideliter decimam quam campartum. Campartitor etiam, quicumque fuerit, ecclesie Gemmeticensi successione perpetua tactis obligabitur sacrosanctis quod hanc

conventionem fideliter observabit. Debet etiam a preposito fieri grantia in masura quam tenet quietam de monachis, et ibi eadem grantia in perpetuum debet haberi, in qua campartum de Tevarvilla debet fideliter conservari. Hujus conventionis inter abbatem seu monachos et prepositum testes sunt Willelmus tunc prior, Simon tunc sacrista, Petrus tunc elemosinarius, Petrus de Lislebona tunc prior de Beu, Reginaldus de Crutis, monachi ; Radulfus Mesnerus, Hermanus, Gilebertus Serviens, Adam, sacerdos, Garinus de Buxeria, Arrondus Salverus, Renoldus maior de Maieroles, et plures alii.